DE

INSTITUTIONE ACADEMIÆ

PRO CHRISTIANA FIDE PROPUGNANDA,

AD HISPANIARUM INDIARUMQUE REGEM

SUPPLEX OBSECRATIO.

AUCTORE

ANTONIO GUILLEN DE MAZON,

HISPANO, AC EQUESTRIS ORDINIS DE MONTESA PRESBYTERO.



BURDIGALÆ,

TYPIS PETRI BEAUME, BIBLIOPOLÆ,

VIA DICTA *du Parlement*, N.° 39.

1833.

ADVERTENCIA.

1. He sometido, como lo debia, este pequeño escrito, ántes de su publicacion, á mis superiores Eclesiásticos en Francia, en donde ejerzo el cargo de Cura (en *Camarsac*, arzobispado de Burdeos, departamento de la Gironda). Y ahora le someto de nuevo á la censura de los II. y RR. SS. Obispos españoles, mis jueces naturales.

2. Recibiré con particular satisfaccion las observaciones que se me quieran hacer sobre su contenido. Mas sí me atreveré á suplicar que se me dirijan francas de porte, atendidos los cortos recursos de mi destino actual.

A. Guillen de Mazon.

PRÆCLARISSIMO ATQUE MAGNIFICENTISSIMO

PRINCIPI, DOMINO NOSTRO,

FERDINANDO SEPTIMO DE BORBON,

CATHOLICO HISPANIARUM ATQUE INDIARUM REGI,

SALUTEM IN CHRISTO-JESU SERVATORE;

AC IN TERRIS PROSPERA OMNIA

ANTONIUS GUILLEN DE MAZON,

EQUESTRIS ORDINIS DE MONTESA PRESBYTER,

OBSEQUENTISSIMUS SERVUS

HUMILITER DICIT AC EXOPTAT.

NUMQUAM remissum scientiæ theologicæ studium, Domine ac Rex noster, in quod triginta abhinc et ampliùs annis toto animo incubui, cæterarumque itidem litterarum, quæ illi, veluti

subsidiariæ cohortes, aut ornamento aut præsidio sunt; accuratissima necnon ac assidua lectio ac pertractatio scriptorum eorum, qui vel in propugnandâ ac tutandâ Religione desudarunt, aut qui aperto Marte ac infestis signis eam recenti ævo lacessere conati sunt; frequentissima deniquè, longè à Patriæ finibus, ac veluti familiaris cum viris quamplurimis necessitudo, quique non minùs pietate, quàm omnigenæ doctrinæ laude, in potentissimo Galliarum regno, collucent hodiè ac enitescunt; hisce omnibus causis eo adductus sum ut crederem, mille adhuc nobis superesse cum Impiis disputandi rationes, quemadmodùm florentiori ætate jam jam credideram et sic exposueram, funestissimâ Atheorum doctrinâ latiùs sese in dies propagante, ac novos ex ipsis scientiarum humanarum progressibus, non sine Fidei nostræ detrimento, sophismatum delectus hauriente.

Haud dubiè inconcussa Fides hæc neutiquam ex orbe terrarum evanescet; Æternum ac Supremum Deum rerum auctorem ac rei sponsorem habemus : haud dubiè irreligiosè admodùm se haberet, qui jota unum præclarissimo ac sublimi Religionis Opificio huic, Omnipotentis manu designato ac Unigeniti Filii sui pretiosissimo sanguine consecrato ac stabilito, vel adjiceret vel detraheret. Ac non minùs præscriptum nobis fuit, et sacrum hoc depositum custodire, pientissimèque

custoditum tueri; et nos itidem teneri paratos ut eos qui contradicunt argueremus, ordonnatum imperatumque fuit; ac ut de eâ, quæ in Servatore-Jesu nos vivere facit, spe, quamprimùm reddere rationem, interrogati possimus. Lustris namque labentibus ventura necnon ætas est, Apostolici Prophetæ cecinere, in quâ inanibus argutiolis ac dolo pleni Sophistes avîtam tentaturi Parentum fidem cavillari et adulterare, captiosè fabulas disseminare, electosque Dei, si fas esset, è promisso regno detrudere: utque ne fallacibus horum insidiis circumveniamur, sedulò die noctuque invigilare jubemur.

Strictissimi ergò muneris nostri est, hanc nobis exceptam à Majoribus Religionem strenuissimè ac veluti pro aris et focis defendere: Principum catholicorum in primis, fidei Nicænæ ac Tridentinæ christiani professione lavacri jure protectorum; omniumque necnon ad sacras aras ministrorum, in quorum labiis ex prophetico debet oraculo sanctorum scientia considere, populumque fidelem eò satiùs, quasi excubias agendo, ab hostium insidiis servare, quò in altum eorum rebellio semper ascendere, ac veluti de die in diem renasci videtur.

Virulentiæ sæculi anteacti, Domine ac Rex noster, hodierna veluti expers apparet impietas: contumeliosa in Deum vivum Volterii epigram-

mata, indecoræ ac in fidem nostram sapore carentes obtrectationes, necnon et amarulenti atheorum et deistarum joci, convicia veluti è trivio corripientium, è cultiorum hominum societate extorres profugere : at nihilo seciùs hæc è castris christianorum defectio ac incredulitas plus timenda ac periculi plena est, quò perfectiori rerum omnium notioni superimposita veluti basi dicatur, atque scientiis humanis, tanquàm immobilibus columnis doctrinisque omnigenis innixa prædicetur et suffulta, ac quasi ex prono alveo ex lucidioribus earum lucubrationibus, toto cœlo aberrando ac contra Deum, naturæ auctorem mentiendo, profluere, admodùm impudenter vociferetur.

Certò certiùs est, scientias ferè omnes è physicâ generali ac è mathematicis prodeuntes, astronomiam necnon, geographiam, geologiam, historiam planetæ nostri ac populorum eorum qui Gangis et Nili oras accoluere; scientias, inquam, ferè omnes eò altiùs post non multos annos progressas esse, ut insolita ac recens refecta universi tota facies videatur : mensque nostra, quò deniquè excrescere ac sese extendere hominum studia possint, post tot sicuti nova in naturâ adinventa ac explorata elementa, augurari ac divinare non valeat.

At isti in scientiis humanis progressus difficil-

limas prorsùs quæstiones aut stimularunt et vel de novo concitarunt, aut multò longiùs spinosiorem earum solutionem reddidere; et hæc certè solutio muneris officiique nostri ac omnium theologorum est : hæcce quippe omnia ignorare sine magno dedecore ac vituperatione non ampliùs nobis permissum, quin ansam Impiis præbeamus ut credant desperatum prorsùs esse de Religione nostrâ, cum eam ritè defendendi, hosque progressus cum divinâ revelatione conciliandi, nobis non adsit facultas.

1. Quæritur à nobis, exempli gratiâ, quænam sit antiquiorum populorum transmigrationis et dispersionis historia; ac quænam itidem sint territoria, latifundia ac montes, quæ apud geologos nomine primæ, secundæ ac tertiariæ creationis designentur; sique nuncupatio hæc diversique ejûs effectus à sistematibus Neptuniano aut Vulcanio, vulgò dictis, verè procedant, vel si processio hæc cum inspiratâ Geneseos cosmogoniâ non pugnet? Proculdubio immensæ rupes graniticæ ac crystallinæ quæ ad summas Alpes, ad summas Andes, ac in montibus Uraliensibus, Himalayis, Lupatis, etc. admiramur, universi globi terraquei, quem incolimus, veluti fundamenta sunt ac primordia. Quomodò ergò procerissima illarum fragmenta terrenis tertiariis superimposita nunc videmus? Adhuc explicandum

itidem nobis erit, quomodò crystallisationes istæ vel ab affinitatibus chymicis, vel à viribus mecanicis originem sumant.

At recentiores incredulos, occasione datâ, in eorum veluti achylleis argumentis audire non pigeat.

2. Numquid continens terra, domicilium nostrum, olim mare fuit; rursùsque immensum mare Oceanum Calpis ac Sundæ claustra prærumpens, terras longè latèque extensas cooperuit, ac ante hominum memoriam Suevicum vel Balticum Mediterraneumque apparuere, ac mari è contrà longè abeunte, desertum Saharæ ac desertum Nigritiæ primò visa sunt? Res verè miranda! Dextrum lævumque continens ad Calpen, ad insulas Rugen, Mæn, Stevens, etc. eumdem stratorum sibi mutuo respondentium conservant et parallelismum et seriem; quodque potiùs mirandum adhuc est, quamplurimi montium Pyrenæorum ac Alpium valles, aquarum proculdubio impetu ad angulos nunc prominentes, nunc recedentes disjuncti, ità inter sese respondent, ut causa quælibet contraria eas de novo copulare ac connectere posset, nullo restante primæ scissionis vestigio.

3. Numquid numerosissimæ animalium maritimorum ac terrestrium species, quorumque exuviis altissimi montes veluti coagulati videntur,

quæque immensas oculis nostris zoolitharum coacervatas lapidicinas in profundo offerunt telluris sinu, vastissimas continentis Europæi regiones peragrantia; numquid animalia, inquam, hæc per longa sæcula ante hominis creationem extitere, quandoquidem nullum istius in hoc primo rerum principio vestigium apparet?

4. Numquid copiosissimæ ac longè latèque per orbem terrarum carbonum extensæ fodinæ, cujusvis primitivorum nemorum conflagrationis indicia nobis sunt, quin veram hujus grandis terribilisque eventus epocham, solique ei consequentis depressionis historicè figere, nobis datum sit?

5. Numquid axis telluris à recta perpendiculari deflectens, vel potiùs alia quæcumque siderum dispositio, præsentem hanc zonarum nobis diversitatem effecit, mari hodiè ad polares circulos rigente, quod olim populis innumeris scaturientes fuerè regiones? Forsitan hæc eadem causa subitò etiam numerosissimas animalium corripuit frigore greges, æquinoctiales hodiè, quorum reliquiæ ferè integræ, elephantium, urium, rhinocerontium ac mestodontium præcipuè, acervatim ad septentrionem conglomeratæ, fluminum Siberiæ oras, Issimi, Irtyquii, Obii, Jenissæi, etc. veluti ambire videntur. Forsitan incognita causa hæcce immensas, eamdem versùs mundi plagam, Po-

meraniam videlicet, gummi copalis arborum silvas congelavit, eversasque delevit, quin aliud earum nobis vestigium restet, quàm pretiosissimum, quod in Suevicis ripis colligitur, electrum. Forsitan deniquè evanescere hæc eadem causa fecit, in mari nostro extinxit, ac in lapicidinis Europæ deposuit conchylia quamplurima, quæ adhuc viventia in Pacifico solùm Oceano inveniuntur.

6. Præthereà, si humanum genus unum est, ab unoque solùm auctore proveniens, undè tot Nigrittæ, ac tot inter eos differentiæ, Senegales, Van-Diemenses, Caffri, novi Caledonii, Haraforæ, etc.? Undè tot æris cypri, aut olivarum, aut cidonei mali colorem referentes populi? undè tot in ipsâmet organorum calvariæ, cæterorumque ossium interiori compositione varietates? quâve tandem veluti incomprehensibili sæculorum serie immutationes istæ in genere humano provehi, prævalere ac solidari potuere, cum è contrà, post longissima tempora historica, insignis ulla perturbatio in numerosissimis tali modo constitutis populis observata non sit?

7. Ac si, ut veritati conformius videtur, universi continentis Americani incolæ originis recentioris sunt, undè tot inter eos dialecti ac loquendi genera, quorum quamplurima admodùm sapienter ac ingeniosissimè elaborata ac exculta

videntur; alia è contrà rusticana et incondita, alia deniquè rationem dicendi alterius continentis redolent populorum, quibuscum consuetudo ulla aut commercium possibile non fuit? Nam mirabilis quædam ac veluti incredibilis analogia nuperrimè inventa est inter thibetanos, caucassienos et mongolios, ac inter otomitas, guaraniticos ac mexicanos dialectos.

8. Et undè tandem innumeris Oceani Pacifici insularum archipelagis habitatores illati, insularum, inquam, quæ vel à montium ignivomorum eruptionibus, vel ab activissimo per longa sæcula madreporarum labore originem indubitanter ducunt, quæque in vastissimo Oceano veluti sabuli grannula huc et illuc dispersa conspiciuntur? Quâque viâ Peninsulæ Malacitanæ populi ad quamplurimas inter has insulas, media ferè circuli parte remotas, appellere ac adventare potuerunt, siquidem hodierni incolæ illorum et faciei et dialecti habitus ac formas nobis offerunt? Ac in prægrandibus insulis, Niphon, Kinsiu et Sikokf, quibus imperium Japonis constat, quemadmodùm in vastissimâ Oceaniâ, *Aborigenas* ac veluti soli filios populos videmus, à littoralibus ac translatitiis toto cœlo diversos. Undè ergò primi? Quâque epochâ, aut quâque viâ huc pervenere?

Fatemur equidem; bona fides nos adigit: re-

centiores ac plenè mirandi in scientiis humanis progressus quæstiones has innumerasque alias, antiquioribus Ecclesiæ Patribus et doctoribus prorsùs ignotas et latentes, de novo suscitarunt: at numquid progressus hos, vera patriæ prosperitatis ac gloriæ et fundamenta et indicia, abjicere et deserere debemus, ne fortè in posterum fidei catholicæ veracitati officiant ac damno sint? At nova in Religionem nostram injuria ac contumelia foret timor iste : Deus meliora ! in Religionem, inquam, è supremæ veritatis sinu misericorditer ortam, ejusque, inter innumera alia, pretiosissimum donum.

Liceat per nos eximiis quibusdam nostri ævi philosophis sese ante Himalayæ aut Cimboracii altissima juga consistere, ac hæc vera naturæ miranda veluti conterriti speculari : at imprudentes et inconsulti fecere, cum longissima anteacta sæcula ex eis audacter computavere.

Liceat per nos horum sapientissimorum alteri calvaria quæque populorum omnium, qui orbem terrarum accolunt, solertissimè scrutari, ac physiologiam novis observationibus mirum in modum ditare : at sibimet ac supremo naturæ artifici mentitus est, cum quindecim humani generis species præcipuas se adinvenisse arroganter glorietur.

Nostra ergò hisce sapientissimis viris responsio

in promptu est : scilicet, unus idemque est et veritatis physicæ et veritatis revelatæ sapientissimus auctor, omniscius ac infallibilis Deus. Quomodò ergò omnipotentis manus ejus opera à revelatione, id est, à prodigiis gratiæ suæ dissentire ac discrepare valerent? Vah homines vanâ sui fiduciâ elatos, divinarumque rerum prorsùs ignaros! At experimur quotidiè, immòque sæpesæpiùs de nostræ mentis tenuitate ac veluti innatâ stoliditate dolemus, passimque studia nostra intra certos nec longè remotos fines amarè circumscripta sentimus; et Creatorem cœli et terræ, omnipotens intelligentissimumque numen, ante rationis nostræ tribunal insolentissimè paulòpost in jus vocamus, veluti si Divinitati non liceret arcana quædam in naturâ superbiæ nostræ occultare!

Liceat ergò mihi, Domine Rex, corollaria quædam ex antedictis depromere, quæque expositionis istius ideam præcipuam clarissimè patefaciant.

Primò : Antiquissimi Religionis nostræ propugnatores et apologistæ, quibus innumeri scientiæ physicæ ramuli ignoti prorsùs fuere, recentiorum philosophorum objectiones nec præsciscere nec anteoccupare ullo modo valuerunt; et, etiamsi nobis apprimè utiles sint, cùm de argumentis moralibus ac metaphysicis disserimus, incassum certò certiùs eos consuleremus, cùm ad quæs-

tiones geographicas et geologicas cogimur, veluti inviti, descendere.

Secundò : Recentiores itidem fidei nostræ defensores, pauci numero, ac inter se segregati, quippe nec patriâ, nec tempore, nec communione christianâ conjuncti, perpetuam, ritè ordinatam universalemque opponere non valuerunt apologiam impiis nostri ævi Philosophis, qui veluti agmine facto ac unanimiter in nostra irruerunt castra, irruuntque quotidiè : in hoc solùm convenientes, ut et salutare Religionis jugum è populo sophisticè tollant, utque intromissâ morum licentiâ, posthabitoque alterius vitæ timore, eum, sub larvatâ quâdam veri boniquespecie, facillimè corrumpant. Quamplurimi etiam, inter Ecclesiæ ministros, studiis alterius ordinis, Patrum scilicet, Conciliorum, Sacræve Scripturæ commentatorum, unicè dediti, humanarum scientiarum ima fundamenta, veluti ad salutem inutilia, prorsùs neglexere : quamplurimi necnon, aut statim è scholarum pulvere ad animarum curam convolant, et hisce studiis incumbendi otium illis non est; aut alii, id est, potissima Cleri catholici pars, immane diei et æstûs pondus in ruralibus Parœciis admodùm religiosè portantes, ac à principibus urbibus, omniumque scientiarum ac artium liberalium emporiis, longissimè remoti, earum studio, forsitan inviti, vacare non possunt.

Tertiò : Incassum iterùm inter præstantissimos Religionis apologistas virum exquireremus, qui, exempli gratiâ, cum Cuverio, Bory de Sancto Vincentio, Stembergio, Brongniarto, Humboltio colluctari in rebus physicis et naturalibus valeret. Immò etiam responsa sapientissimorum theologorum Bergierii, Duclotii, etc. ad res physicas pertinentia, quæ in eorum operibus passim legimus, nescio quid obsoleti aut incompleti nobis offerunt. Totam hanc defensionis nostræ rationem veluti de novo reficere, ut credo, ac reconcinnare, muneris nostri est.

Quartò : Studia ergò theologica, suis terminis circumscripta et definita, ac è contemplatione rerum naturalium sejuncta, Religionis nostræ defensioni non sufficiunt. Et quandoquidem scientiis humanis, insigni supremi numinis beneficio, perversissimè usum est, in fidei nostræ præjudicium, liceat ergò ad eas appellare, tanquàm ad subsidiarias divinæ Religionis cohortes, sicque auctori gratiæ earum divitiarum primitias dicabimus, quas ut naturæ auctor adinvenire nobis ac admirari permisit.

Quintò : Ut ad eum igitur, quem nobis proponimus exitum, veniamus, proculdubio sapientissimorum quorumcumque in scientiis naturalibus Hispaniæ nostræ virorum academicum consessum creare oporteret, quique theologis

primi subsellii conjuncti, apologiam veluti perpetuam hujus falsæ philosophiæ sophismatibus continuè renascentibus ac pullulantibus opponere potuissent. Sapientissimi viri hi, sese mutuo opitulantes ac operam præbentes, huicque uni officio intenti, eruditissimi in utriusque generis scientiis facillimè devenirent : professoribus quippe litterarum humanarum, in hâc studiorum consociatione, arcana theologiæ patefierent, ac vice alternâ theologis abditiora ac veluti miranda naturæ. Pervigilarent ergò utrique ne quid detrimenti Religio caperet, ac veluti excubias agendo, si quid contra fidem nostram impii homines per universum terrarum orbem scriptis molirentur, repulsum sine intermissu multiplici argumentorum supellectile, repudiatumque foret. Forsitan in florentissimis Europæ nostræ regnis ejusdem naturæ Academiæ aut Lycæa, in id solum tendentia, instituerentur, scilicet, ut scientias humanas fidei humiliter servire facerent : eaque præclarissimorum una mens, votumque unicum, et novo fidem nostram præsidio tutaretur, et objectiones quascumque, è scientiis naturalibus ortas, fortiùs retorqueret ac propulsaret. Hoc itidem propugnandæ fidei nostræ munus ac officium ad novos in iisdem scientiis naturalibus progressus homines sapientissimos provocaret, et hi progressus honori populis omnibus, aut dignitati, aut lucro sunt.

Deniquè, eorum necnon virorum in gratiam fidei elucubrationes ac dissertationes, in publicâ ephemeride per dies aut per hebdomades consignatæ, et saporem pro rebus solidioribus, fabularibus historiis neglectis, in universum acuerent et corroborarent, et quamplurimis insuper hominibus, à sublimioribus hisce studiis longè remotis, mille novas et admirandæ Religionis, et admirandæ naturæ rationes ultrò jugiterque offerrent.

Totam hanc ergò quæstionem paucis resolvamus. In primis : hæc de *propugnandâ fide* academia constantem, uniformem ac veluti œcumenicam fidei defensionis rationem præscriberet ac provideret : apologiæ siquidem, quas hodiè cognoscimus, aut seriùs, aut rariùs quàm oportuisset, apparuerunt : cùm nempè nefanda incredulitatis lues longè latèque serpsisset. Deindè ; apologiæ istæ in amplis operibus consignatæ, ac sæpesæpiùs peregrino exaratæ sermone, haud sufficienter cognitæ vel sparsæ sunt ; aut in theologicis argumentis solum versantes, viros alioqui sapientes, ab illis alienos, nullo modo sollicitarunt nec allexerunt ; aut gravioribus consultò missis objectionibus, ferè nullius momenti difficultates solùm contrectarunt, veluti si de cæterarum sufficienti solutione desperatum esset. Malis istis, et quidem gravissimis, per institutionem

Academiæ nostræ *de fide propugnandâ*, cum plurimis aliis ejusdem naturæ consociandæ, efficacissimè ac valentissimè ocurreremus.

Porrò, in cultioribus humanioribusque Europæ nostræ imperiis, Domine ac Rex noster, Hispanico, scilicet, Gallico, Britanno, Austriaco, Borussiaco cæterisque Germanis, Russo, Suevico, Neapolitano, Romano, etc. quamplurimæ florescunt hodiè insignes Academiæ, in id tendentes, ut scilicet linguæ patriæ nitorem perpetuò conservent; ut palladias artes studiosissimè foveant; ut scientiarum progressus et earum approbatione firment ac in acta referant; ut gentilitias antiquitates illustrent; ut condignas monumentis publicis inscriptiones apponant; ut innumeras in classes ordinent naturæ divitias, etc. etc. Et sub clarissimorum auspiciis imperatorum Academiæ istæ prospero fortunæ statu vigent, enitent ac mirificè amplificantur. Placuit insuper clarissimis sapientissimisque principibus lycæa hæc ac academicos consessus suis honorare nominibus, donisque magnificentissimè ditare, privilegia donare ac in palatinis domibus hospitio accipere.

At quænam, precor, legitima instituti comparatio valeret inter has generis humani dotes, studia, artes, scientias ac inventa quæcumque; comparatio, inquam, cum sublimiori revelationis ac rerum divinarum scientiâ, quâ solâ

imperia solidantur, justi sperant, miseri dolores abstergunt; quâ solâ justitia prævalet, eradicantur vitia, ac virtutes in honore sunt; quâ solâ, deniquè, nobis fausta omnia in utrâque vitâ expectare fas est? Academia ergò hæc quæ tot ac tanta nobis commoda ac emolumenta compararet, concordiam, scilicet, utriusque veritatis, divinæ et humanæ, nonne clariùs ad conspicuorum pietate ac religione Regum patronatum veluti jus haberet? Nosque itidem ad altare Dei ministri, quomodò oblivioni dare possemus quod in sacrâ manuum impositione mysticè dictum nobis fuit, *euntes, docete omnes gentes?*

Quamplurimi etiam in Ecclesiæ catholicæ sinu olim viguere hodièque vigent ordines religiosi ac instituta, de patrià ac de religione optimè merita, eo solùm scopo, ut et miseros à captivitate redimerent christianos, et ut aliis in periculo mortis constitutis in subsidium venirent, etc. Opus profectò præclarissimum, quodque universi generis humani gratitudinem exigit meritissimè! At nostra veluti altiorum scientiarum Academia, cujus unicum foret consilium, hujusce fidei, quæ sola nobis spes, integrum per ventura sæcula depositum servare, commoda Ecclesiæ nostræ forsitan potiora, meo judicio, offerret.

Porrò expositionem hanc, Domine Rex, quam



ante tribunal sublimioris Majestatis Vestræ humiliter reverenterque subjicio, post aliquos annos, afflante Deo, concepi : eaque solùm die noctuque tenuit perpetuò mens, ea solùm spes, si fortè hæc in christianis imperiis idea probaretur. Ad interiora nempè spiritus ac conscientiæ meæ sæpissimè confugiens, interrogo mihi, numquid docendi populos munus ritè religiosèque obiisti? numquid votis ordinationis tuæ satis plenissimè fecisti ?

Divinis humanisque litteris assiduè et per longa tempora incubui; cùmque tandem, sospite Deo, et post innumeras perquisitiones ac scrutationes mihi persuasus sum, quod ampla nobis hæc omnia conciliandi superfuerit via, illicò consilia ac cogitationes has in lucem prodere constitui.

At liceat paucissima antedictis addere. Apud fratres nostros, è sinu catholicitatis disjunctos, vigent hodiè societates, *Biblicæ* vulgò dictæ, quas opulentissimi in Galliarum ac Britanniæ imperiis proceres suo favore prosequuntur, quæque ad Thibetanas usquè regiones, in interioribus partibus Asiæ, et ad innumeros et non pridem cognitos Australiæ ac Oceaniæ archipelagos indeficiens Evangelii nostri lumen dicuntur perduxisse. Et par nos beneficium, pro verissimæ nostræ communionis defensione, neutiquàm experiremur ? Extat etiam Romæ, in conspicuo catholi-

citatis sinu, præclarissima *De propagandâ fide* congregatio, quæ innumera Religioni præstitit, hodièque præstat obsequia et officia; et certè, tantæ molis, ut credo, est, novas sub religionis imperium nationes ac provincias subjungere, quàm id, quod jam pridem in ditionem suam redactum est, integrum incolumeque servare.

At Religionem nostram, objicitur, huic veluti investigationi ac censuræ subjicere, legibus vetitum.... Absit! Investigationes, cujùslibet naturæ sint, hæc divinitatis filia non reformidat. Suis tamen regulis constant, prudentibusque terminis deffiniuntur. « Nulla lex, præclarissimus « aiebat Tertullianus, sibi soli conscientiam jus- « titiæ suæ debet, sed eis à quibus obsequium « expectat. Cæterùm suspecta lex est, quæ pro- « bari se non vult; improba autem, si non pro- « bata dominetur. » Hæc ergò investigatio non solùm permissa, sed rigidè præscripta nobis est, ut obsequium in fidem *rationabile* deveniat. Legislator noster, Filius Dei vivi, ad eam inimicos missionis suæ continuè provocabat ac invitabat dicens: « Scrutamini Scripturas; illæ sunt « quæ testimonium perhibent de me. » Et Spiritus Sanctus primorum fidelium Bereæ zelum magnificè laudat, « nobiliores eorum qui sunt Thessa- « lonicæ..... quotidiè scrutantes Scripturas, si « hæc ità se habeant. »

At hæc consulendi scientias humanas veluti dura necessitas, quamplurimos ad sacras aras ministros à scientiis ecclesiasticis retraheret..... Sed non omnium indistinctè munus hoc foret. Et ii, quibus hoc non daretur otium, in ephemeride ecclesiasticâ, quam suprà laudavimus, istas de religione quæstiones sufficientissimè elucubratas viderent. Præterquàm quòd, studia prophana, dummodò sobriè suscepta, nobis interdicta non sunt; quæ olim sapientissimi Mabillonii thesis fuit. Immortalis Augustinus, semper duratura Ecclesiæ nostræ laus, prisci ævi poetas omnes, oratores, historicos ac philosophos quoscumque, in arte suâ eximios, sedulò evolverat, priusquàm *de Civitate Dei* præclarissimo operi manum admovisset.

Forsitan etiam hæc, eodem temporis articulo, similium Academiarum existentia ac institutio, hæc studiorum communio, et scholas jam pridem inter se dissidentes coadunaret ac reconciliaret, et carissimos fratres nostros, post tria sæcula à nobis sejunctos, ad divinum Ecclesiæ Catholicæ septum, sub œcumenico ac uno pastore, quod faxit Deus! fortunatissimè reduceret. Acerrimi namque revelationis defensores, Abadie, Leland, Lardner, Deluc, etc. ex eorum castris prodiere.

Nec novam, deniquè, studiorum rationem inducere in animo est : theologiæ scholasticæ cle-

rici juvenes primò incumbant, quæ et acuendis ingeniis, veritatibusque dogmaticis meliùs propugnandis congruentissima semper extitit.

Porrò, ante sublimem Vestræ Majestatis Thronum, Domine ac Rex noster, astant quamplurimi et dignissimi antistites, omnigenæ eruditionis laude insignes et zelo pro Dei immortalis gloriâ ferventes; et consiliarii regii sapientissimi, et præclarissimi in omni scientiarum genere professores : eorum consilia in hoc tanti momenti negotio libenter confidenterque invoco, eorumque solùm approbationem ambio. Zelus Domûs Dei tantùm, posthabito terreno quocumque commodo aut spe, hanc mihi expositionem suggessit, quamque, ut humillimus Ecclesiæ filius, beatissimi Pontificis Romani, primi doctrinæ nostræ et custodis et judicis, ac superiorum necnon meorum censuræ subjicio. Forsitan eam non satis congruenti sermone exaravi; forsitan idem zelus longiùs, quàm æquum esset, me procedere fecit : nihilominùs, hoc unum in corde meo sentio, hoc unum ante Supremum vivorum et mortuorum Judicem profiteor, ordinatam scilicet fidei nostræ defensionem perquàm honorabilem Ecclesiæ ministris cæterisque viris sapientissimis futuram fuisse, populisque universis perquàm utilem. Faxit Deus ut hæc defensorum fidei Academia primam in patriâ dulcissimâ originem in-

veniat! Faxit Deus, ut et eam Vestro Regio Nomine ornatam ac decoratam aliquandò Europa miretur!

Tunc demùm, in Deo meo confidens, mortalis vitæ finem sine ullo angore jam jam adventare sentirem, ac ex imo corde exclamarem: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia « viderunt oculi mei salutare tuum! »

E pago de *Camarsac*, diœcesis et præfecturæ Burdigalensis, in Galliis, pridiè calendas Augusti, anno à salute Domini 1833.

Catholicæ ac Regiæ Majestatis Vestræ
humillimus ac obsequentissimus
servus,

Antonius Guillen de Mazon,

Hispanus, equestris Ordinis de Montesa Presbyter, curæ animarum in pago de Camarsac præfectus.